

1.3.36

Idem A. Sebastiano pp.

Iubemus adscripticiorum
creationes secundum veterem constitutionem,
nisi dominorum possessionum, unde oriundi sunt,
evidens concurrerit consensus, nullius penitus esse
momenti, sed isdem fundorum dominis, qui faciendae
creationi non sicut dictum est evidenter consenserint,
ius proprium ad similitudinem ceterorum
colonorum in suos adscripticios exercendi, tamquam
si nulla creatio intercessisset, tribui facultatem.
idemque hoc super illis quoque agricolis decernimus
observari, qui cum essent adscripticiae nexibus condicionis
conscripti, solitariam vitam videlicet appetentes
quibuslibet sese monasteriis contra voluntatem dominorum
fundorum duxerint offerendos.

1 ¶ Servos sane sociari clericorum consortiis volentibus quoque et
consentientibus dominis modis omnibus prohibemus,
cum liceat eorum dominis, data servis prius libertate
licitum eis ad suscipiendos honores clericorum
iter, si hoc voluerint, aperire.

2 ¶ Omnes praeterea virorum clarissimorum
provincias moderantium sententiis
absque ulla privilegii differentia (qui tamen
praesidali iurisdictioni subiecti sunt, sive episcopi vel
quolibet clerici aut monachi aut cuiuslibet sint condicionis)
pariter respondere decernimus: nulla in
posterum viris clarissimis provinciarum rectoribus ad
loca, in quibus incusatae personae consistunt, perveniendi
necessitate penitus imponenda, cum non
solum legibus, verum etiam naturali quoque iuri
conveniat, quos res exegerit, iudicialibus ad indicium
vocari sententiis, non ipsos indices, quod dici etiam
iniustum est, ad subiectos deduci, sed per datos ab
his indices causae examinationem in locis ubi incusati
degunt procedere.

D. V k. April. Constantinopoli Theodorico cons.

[a. 484]